

# CASUS

## DE INJURIA ET FURTO

### SEU

*De gravitate furti. — De furtis minutis. — De furtis filiorum, — domesticorum, — uxorum. — De furtis dubiis. — De occulta compensatione.*

### CASUS I.

#### FURTI GRAVITAS.

NESTOR, data occasione, et diabolo quoque impellente, rei alienæ subducendæ inhians, modo apud divites, modo apud alios, etiam pauperes, clam surripit tres, vel quatuor, vel quinque aut sex francos. Imo quadam die surripuit 12 francos apud principem valde divitem. Postea autem, audita concione vehementi, sincere confitetur, et quærit an in omnibus istis graviter peccaverit?

HINC :

QUER. 1° *Quænam materia sit gravis in furto?*

2° *An graviter peccaverit NESTOR in dictis casibus, præsertim 12 francos principi subripiendo?*

SOLUTIO :

553. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Juxta communem sententiam, in furto materia est *relative* gravis, non vero *absolute* seu respectu omnium; id est, materia sæpe potest esse gravis vel levis, ratione conditionis majoris vel inferioris domini læsi. Furtum quinque vel sex francorum *probabilius* constituit materiam gravem respectu divitum, regulariter loquendo. Minor materia sufficit ad peccatum mortale, si damnificatus sit inferioris conditionis. Hinc valor unius, aut etiam dimidii franci, quoad pauperem, materiam gravem constituere potest. *V. Comp. n. 607.*

Communiter dicunt auctores, ait *S. Lig. n. 527*, gravem esse in furto illam materiam, quæ alicui, juxta suam conditionem, sufficeret in die pro sui suæque familiæ sustentatione, in qua non solum computatur victus, sed etiam vestitus et habitatio. Sed regula hæc, cum sit valde obscura et confusa, nec universe possit pro omnibus valere, statuenda videtur materia *relative* gravis in furto pro vario hominum statu. Hinc requiri videntur circiter 20 asses *relative* ad pauperes, et aliquando minus pro majori gradu necessitatis; duo vel tres franci *relative* ad operarios qui labore victum sibi comparant; quatuor vel quinque franci *relative* ad homines mediocriter divites; sex vel septem franci *relative* ad divites ordinarios, et paulo amplius *relative* ad ditissimos. Sic ex doctrina sat communi.

554. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Ex dictis colligi potest: saltem circiter, an vel quando NESTOR graviter deliquerit. Reus sane fuit peccati lethalis quoties 6 vel 7 francos surripuit, etiam apud divites; et 10 vel 12 fr. apud principem. Quoad alia furta interrogandus est, ut res clarius pateat et applicandæ sunt regulæ modo expositæ, circa materiam gravem. Cæterum in praxi sæpe materia gravis determinari nequit exacte, et proinde Confessarius non potest dignoscere utrum pœnitens graviter peccaverit, necne. Tunc res divino judicio relinquenda est. *S. Lig. n. 527.*

### CASUS II.

#### DE FURTIS MINUTIS.

1° HUBERTUS, furtulis assuetus, successive sustulit ab eodem domino 8 vel 9 francos, et postea a diversis dominis 12 francos, sine prævia intentione ad talem summam perveniendi, et sine advertentia ad furtula antèrius patrata, dum ad gravem summam accedit.

2° DAMASUS, villicus, degens in prædio GERARDI, ei subripuit a pluribus annis, et pluribus vicibus, singulis annis, quid modicum, v. g. tempore messis modicum tritici, tempore vindemiæ modicum uvæ, etc. Nunquam tamen in his furtulis perseverare intendit. Nunc advertens modica hæc furta in gravem materiam exurgere, petit a Confessario an graviter peccaverit, et sub gravi ad restitutionem teneatur?

HINC :

QUER. 1° *An furtula in materiam gravem coalescere possint?*

2° *Quænam materia gravis censeatur in furtulis simul collectis?*

3° *Quomodo prædicti fures peccaverint et teneantur ad restitutionem?*

SOLUTIO :

555. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Affirm.* Ratio est, quia, si fiant eidem domino, damnum grave inferre possunt; si vero fiant diversis dominis, repugnant præcepto non ditescendi ex re aliena, quod præceptum jure naturali ratione boni communitatis manifestum est. Constat etiam ex *propositione 38<sup>a</sup> ab Innoc. XI damnata. S. Lig. n. 534. — V. Comp. n. 609.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* 1° Si furta minuta fiant diversis vicibus, vel diversis personis, ut materia censatur gravis, excedere debet ex dimidia parte summam communiter requisitam ad peccatum mortale constituendum. 2° Si vero fiant tum diversis vicibus, tum diversis personis, ut materia sit gravis, duplo major esse debet. *S. Lig. n. 530.*

556. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* 1° HUBERTUS in utroque casu pervenit ad materiam gravem, ut patet ex modo dictis. Attamen non videtur peccasse graviter, propter defectum advertentiæ. Sed sub gravi tenetur ad restitutionem, quia rem gravem proximi detinet. In priori casu tenetur *sub gravi* restituere ipsi domino graviter læso. In altero casu, tenetur quidem *sub gravi* spoliare se re aliena gravi; sed non tenetur, nisi *sub levi*, erga sin-

gulos dominos læsos, quia singuli leve damnum passi sunt. Si vero restitueret tantum id quod summam gravem constituit, v. g. duos vel tres francos ex septem debitis, a peccato lethali excusaretur.

2<sup>o</sup> Quid autem de DAMASO statuendum?

Non peccavit graviter, si non animadvertit ad materiam gravem; sed tenetur sub gravi restituere, quia damnum grave intulit, nisi forte tantum adfuerit intervallum inter singula furtula, ut in materiam gravem coaluisse non censeatur, quod in casu vix supponi potest.

## CASUS III.

## DE FURTIS FILIORUM ET FAMULORUM.

1<sup>o</sup> ROMARICUS, filiusfamilias, clam subripuit patri, sat diviti, 8 francos una vice, et posito notabili intervallo, 10 francos, per varia furtula, et totam hanc pecuniam in ludo et potu expendit.

2<sup>o</sup> QUIRINUS, famulus, semel sex francos ab hero divite furatus est, et pluribus elapsis mensibus, varia adhuc adjecit furtula in cibo et potu, eodem decurrente mense, pro valore octo circiter francorum.

HINC :

QUER. 1<sup>o</sup> *Quænam summa requiratur ad peccatum mortale in furto filiorumfamilias?*

2<sup>o</sup> *Quænam pro furto famulorum?*

3<sup>o</sup> *An ROMARICUS et QUIRINUS graviter peccaverint?*

SOLUTIO :

557. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Conveniunt communiter Doctores majorem pecuniæ vim requiri ex parte filiorumfamilias, quam ab extraneis, ad materiam gravem constituendam; quia parentes sunt minus inviti aut saltem minus rationabiliter inviti, si a filiis propriis lædantur. *Probabilius* autem dicunt summam duplo majorem requirendam esse. Idem de furto uxorum dicendum est. *V. Comp. n. 608.*

558. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Pro famulis distinguendum est: 1<sup>o</sup> Si agatur de pecunia aut de rebus sedulo custoditis, materia communiter determinata ut gravis peccatum mortale etiam constituet pro famulis; quia nulla est ratio cur in rebus hujusmodi ipsis indulgentia adhibeatur, siquidem domini non sunt minus inviti pro illis quam pro extraneis.

2<sup>o</sup> Si agatur de esculentis, videtur materiam majorem requirendam esse. Imo, juxta multos, furtula facta in esculentis non censentur generatim ad materiam gravem devenire, modo non vendantur, aut e domo non educantur. *V. Comp. n. 608.*

559. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> Quoad ROMARICUM, non videtur certo de gravi peccato accusandus, neque in primo casu neque in secundo. *Non quidem in primo*, quia, juxta sententiam communiorem, materia gravis pro filio honestæ familiæ deberet saltem decem francos adæquare; *neque in secundo casu*, quia, si requiruntur 10 franci circiter ad peccatum grave

pro ROMARICO, licet unica vice hanc pecuniam subripiat, valor 15 francorum circiter in furto minutis erit requirendus.

2<sup>o</sup> Quoad QUIRINUM, peccavit graviter prima vice, seu sex francos a domino auferendo, ut patet ex sententia communi Theologorum, non vero in furtulis circa esculenta, *per se loquendo*, ut ex dictis apertum est.

## CASUS IV.

## DE FURTIS UXORUM.

*Uxor provida.*

GERASINA, uxor LUDOMIRI, viri divitis quidem, sed austeri et tenacis, ne dicam avari, suo marito clam et paulatim pecunias subtrahit: 1<sup>o</sup> ad alendam matrem valde pauperem ac miseram, licet sciat maritum hoc ægerrime laturum, si cognosceret; 2<sup>o</sup> ad honeste vestiendum filium, quem ex priori matrimonio habet, cui maritus præter alimenta necessaria vix aliquid aliud vult concedere; 3<sup>o</sup> ad sibi providendum pro futuro. Cum enim dotem valde exiguum attulisset, nec filios ex LUDOMIRO haberet, aperte prævidet ipsam, si vir præmoriatur, necessariis ad decentiam sui status servandam destitutam iri. LUDOMIRO denique absque testamento defuncto, tota ejus hæreditas ad cognatos devolvitur. GERASINA vero, partim ex tenuissima dote, partim ex iis quæ sua providentia collegerat, vitam et statum sustinere cogitur. Mox tamen scrupulis agitata, quærit a Confessario utrum tuta sit conscientia?

HINC :

QUER. *An GERASINA graviter peccaverit, et ad restitutionem teneatur in casibus propositis?*

SOLUTIO :

560. — *R. In primo casu* indulgendum est miseræ GERASINÆ, quæ matri suæ egenti opitulatur. Etenim, cum in hypothesi alio modo ei succurrere nequeat maritus non potest esse rationabiliter invitus, siquidem filia de jure naturali tenetur matri indigenti subvenire. Si vero bona aliqua paraphernalia haberet, ex iis GERASINA matrem alere deberet. *Lacroix, l. 3, n. 1025.*

*In secundo casu*, idem sentiendum est de ratione agendi GERASINÆ erga filium ex primo matrimonio natum, ob eandem rationem; modo non excedat subtrahendo plus quam sit necessarium ad necessitatem filii sublevandam, simulque habeat intentionem postea compensandi hæredes mariti sui, si fieri possit. Sed caveat, ne cæco amore ducta, præter id quod necessarium est indulgeat; nec opus est, ut proles ex priori matrimonio suscepta tam splendide vestiatur. Secus enim maritus rationabiliter invitus fieret. *Elbel, n. 273.*

561. — *In tertio casu*, provida uxor non facile excusanda est, quippe quæ limites prudentiæ humanæ excessit, nec satis Providentiæ divinæ confidit. Quare enim tanta sollicitudine pro incerto tempore providet, bona

non sua seponendo? Quomodo scit ipsa se non marito prius, sed multo posterius vitæ valedicturam esse? Attamen aliquatenus indulgendum ei foret, si maritus esset multo senior, infirmus, et si constaret eum nihil uxori indigenti donaturum esse, quia vir uxori in iis circumstantiis providere debet. A fortiori non esset damnanda uxor quæ, dum vir familiæ substantiam dissiparet, pecuniam subduceret, et servaret pro filiis, vel etiam pro se, si bona communia cum marito haberet.

## CASUS V.

## SARTOR INDUSTRIUS.

GENESIUS, sartor, 1° in vestibus conficiendis quod panni reliquum est sedulo colligit, ne fragmenta pereant, et sibi retinet. 2° Cum autem in arte non mediocriter peritus sit, modum novit vestimenta cum minori panni quantitate quam cæteri conficere, et quod superest ut industriæ emolumentum servat. 3° Quoties de aliorum mandato pannum emit, pretium fingit paulo majus ac reapse solvit, ad tempus quod in hac emptione adhibuit compensandum. 4° Tandem, accepto mandato a nobili viro ut decem panni ulnas, sive metra, illi emeret ad vestes conficiendas, GENESIUS adit mercatorem, et de pretio cum eo convenit. Verum, cum in panno evolviendo aliquot scissuras reperisset, et simul advertisset, se industria ita agere posse ut scissuras a vestibus excluderet, easque idoneas conficeret, obtinuit a mercatore ut pretium ex tertia parte deprimeretur, et nihilominus a viro nobili integrum pretium repetiit.

HINC :

QUÆR. *Quid sentiendum de GENESIO in variis casibus propositis?*

SOLUTIO :

562. — R. 1° *In primo casu*, minime probanda GENESII œconomia. Injuste enim retinet panni fragmenta, quæ sunt alicujus momenti, seu quæ pretium habent. Sicut enim pannus integer pertinet ad dominum, ita etiam ejus fragmenta, postquam dissectus fuit, nisi sint adeo brevia et informia, ut reapse pretium non habeant. S. *Lig. n.* 290. Excipe, nisi sit consuetudo alicubi vigens, ut sartor fragmenta retineat, et ideo ipsi minus retribuatur, etc. V. *Comp. n.* 615.

2° *In secundo casu*, non videtur inquietandus *per se* GENESIUS, quia id quod ex parcimonia tenet, industriæ suæ extraordinariæ tribuere potest. In praxi tamen hoc non est facile permittendum, quia est hallucinationis periculo plenum. Quot enim sartores, mediocriter periti, industriæ et parcimonie extraordinariæ laudem et emolumentum sibi vindicarent.

563. — 3° *In tertio casu*, GENESIUS, nihil repetere potest ratione temporis ad emendum pannum adhibiti generatim loquendo, quia communiter illud tempus minimum est, nec pretio æstimari potest. Præterea sæpius sartores ipsi se offerunt ad pannum procurandum, et proinde gratuito id agere censentur. Attamen, si jussus fuerit ut pannum emeret, et notabile tempus ad mandatam exsequendum adhibuerit, in bona pace dimittendus erit.

4° *In ultimo casu*, sua felici industria gaudere poterit sartor noster, et tuta quidem conscientia. A mercatore enim juste imminutionem pretii obtinuit, et suæ industriæ tribuere potest, si, non obstantibus panni scissuris, idoneas vestes conficiat. Nullam affert injuriam mandanti, cum mercem vere pretiosam et solidam in vestibus conficiendis adhibeat.

## CASUS VI.

## PERNA CARISSIMA.

(*Le jambon bien payé.*)

PYSANDER, rusticus, mercatoris officinam, emendæ lanæ gratia, fuerat ingressus; acceptam mercem in saccum immittit. Dum autem faciem averteret officinæ præpositus, ad reliquam lanam loco suo reponendam, rustico nostro arridet miræ magnitudinis *perna*, quæ ipsi ad manum obvia est. Huic inhiat, et subductam eximiam prædam in sacco statim abscondit. Verum non sat feliciter: rem enim advertit præpositus. Tunc ille: « Quot igitur lanæ libras habes? ait. — Duodecim, reposuit rusticus. — Papæ! exclamat mirans alter, putabam te majorem accepisse quantitatem. Eia rem probemus. » Ecce saccus bilanci appositus 22 libras refert. « Vide, mi bone, subdit venditor, quantus irrepserat error! » Quid vero rusticus? Altum servat silentium, et extemplo solvit pro carne, cujus libra 10 asses non superabat, haud secus ac pro lana, cujus idem pondus 4 francis venale erat. Sic pernam 5 francis valentem 40 fr. persolvit.

HINC :

QUÆR. 1° *An juste præpositus egerit?*

2° *An præpositus excessum pretii sibi servare possit, vel domino officinæ restituere debeat?*

SOLUTIO :

564. — R. *ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Quis præpositum officinæ damnabit? Nemo sane. Unanimi ore dicent omnes hoc egregie fuisse peractum, absque omni justitiæ læsione. Etenim *scienti et volenti non fit injuria*; atqui rusticus novit quale damnum pateretur, nec reclamavit: ergo tacite consensit, ne furtum fateri cogeretur. Ergo adfuit inter ipsum et præpositum *quasi-contractus*, vi cujus ille libere consensit in pretium multo majus solvendum, ne ab ipso proderetur; et sic a justa vexatione se redemit, et juste solvit. Abeat igitur rusticus, carissimam deferens sarcinam, simulque hoc levetur solatio, scilicet, quod si pro carne majus exhibuit pretium, pro correctione tamen accepta, majus profecto non rependit: (*La leçon vaut bien un fromage sans doute.* — La Fontaine.)

565. — R. *ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Præpositus absque difficultate excessum pretii retinere potest, ut singularis industriæ fructum, vel tanquam pretium juste acceptum, ut a denunciando fure abstineret. Bona igitur occasione quæ ipsi obvenit, tuta conscientia fruatur. Etenim cur pretii excessus domino officinæ deberet cedere? Quodnam jus, quæso, in illud emolumentum domino competere potest? Namquid est *fructus officinæ* vel *personæ*? Igitur dominus officinæ ad solum carnis pretium sibi refundendum strictum jus habet.

## CASUS VII.

## NON CAPIENS CAPTUS.

AUDIFAX, absente RODULPHO, ejus domum furtim ingreditur, et, arca nummaria clam effracta, trecentos aureos surripit, et aufugit. Redux RODULPHUS, miratur primum, arcam apertam et pecunia vacuum cernens, et mox in furorem accenditur. Clamat, ejulat; sed quis id fecerit, prorsus ignorat. Tandem ei incidit suspicio, pecuniam a TITIO, famulo suo, surreptam fuisse. Hic judicis jussu comprehenditur, et in custodiam traditur. Infelici casu gravissima præsumptio contra eum insurgit. Adsunt enim testes, qui referunt eum, absente domino, solum adfuisse in loco ubi factum est furtum. Ipse TITIUS, timore perterritus, incohærentia, imo et contradictoria verba, judici respondendo, profert. Quare de furto arguitur, atque ad perpetuas triremes damnatur. AUDIFAX vero id rescians, sceleris conscientia cruciatus, ad Sacerdotem accedit, rem totam ei patefacit, postulatque quid sibi in tantis angustiis agendum sit?

HINC :

QUÆR. 1° *An AUDIFAX se prodere debeat, vel saltem ante judicis sententiam ad id teneatur?*

2° *An teneatur ad damna erga famulum resarcienda?*

3° *Quid a Confessario respondendum?*

SOLUTIO :

566. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Quid de AUDIFACE? Ecce pœnitentia ductus, adstat coram Confessario ejus sententiam lacrymabundus exspectans. Quid vero Sacerdos? Num ad damnum adæquate reparandum pœnitentem urgebit? Num jubebit, non solum ut reus pecuniam furtivam restituat, sed etiam ut seipsum apud judicem prodatur? Nequaquam. Satis enim est ut RODULPHUM secreto indemnem faciat, et pœnitentiam de peccato peragat. Dico igitur AUDIFACEM nostrum minime teneri ad se prodendum, etiam ante famuli damnationem, etiamsi hac via injustam sententiam in hunc ferendam præcavere potuisset. Ratio est, quia AUDIFAX nullatenus fuit *causa efficax* damnationis famuli, sed *mera occasio*, seu *causa occasionalis*, vel *causa remota*. Porro non tenetur quis in damni reparationem, nisi ejusdem *causa verax et efficax* fuerit: ergo... Tota enim famuli damnificatio errori testium et judicis imputanda est; sed AUDIFAX hujus erroris causam non posuit efficacem: ergo non tenetur se prodere ad malum hujusmodi præcavendum vel reparandum. Excipe casum in quo AUDIFAX infelicem eventum prævidisset, et ejusmodi essent circumstantiæ, ut famulus probabilissime accusandus et damnandus esset, quod evenire communiter non solet.

567. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Nego.* Sequitur ex dictis. AUDIFAX enim causa non fuit damnorum quæ famulo evenerunt, sed solus judicis error; ergo ea resarcire non debet. Attamen ex caritate teneretur innocentem a gravissima pœna liberare, si facile posset, quin seipsum proderet.

568. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Generatim in tanta difficultate parum proderunt consilia Confessarii; verum si ipse, vel alius, virum potentem adire posset, qui, re sub secreto cognita, apud Principem agere valeret et gratiam innocentis famuli obtinere, hoc omnino suadendum esset.

## CASUS VIII.

## MATRONA SINGULARIS, ET FAMULA SOLERS.

GORDIANA, matrona ditissima et humanarum rerum studiosissima, in quibusdam Italiæ partibus degens, propositum singulare admodum cepit, ne dicam ipsam singulari dementia captam esse. Ecce rem mirandam sane! Nulla vestimenta neque linteamina ad usum proprium vult adhibere, nisi Parisiis allata fuerint. Imo, quis credat? jubetur VERONICA, ancilla, ut linteae omnia dominæ Parisios mittat, ad ea accuratius abstergenda, mundanda, atque reficienda. Quid vero dolosa famula? Simulat se adamussim obtemperaturam esse. Sed, missis linteis in vicinam civitatem, in qua tam accurate et exquisite quam Parisiis mundantur et reficiuntur, sibi servat pecuniam quam expendere debuisset, si mandato GORDIANÆ fuisset obtemperata.

HINC :

QUÆR. 1° *An VERONICA injuste egerit, et teneatur ad restitutionem erga GORDIANAM, dominam?*

2° *An satis sit, si hanc pecuniam pauperibus distribuatur?*

3° *Quid si dominæ restitui non possit, quin ipsa advertat, et damnum inde famulæ sequatur?*

4° *Quid VERONICÆ suadendum pro futuro?*

SOLUTIO :

569. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* VERONICA, famula, injuste egit, et tenetur ad restitutionem erga dominam. Habuit enim pecuniam ad finem determinatum, non vero ad alium. Si igitur pepercit pecuniæ dominæ, in favorem ipsius dominæ parcere debuit. Mercedem congruam pro famulatu recipit, nec aliud jus habere potest. Nam famulus parcens pecuniæ, domino parcat.

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Non satis est si pauperibus restituat, nisi licentiam generalem eleemosynas erogandi obtinuerit. Etenim, si dominæ restituere non teneretur, pecuniam parcimoniam sibi retinere posset. Pauperes repræsentant quidem dominum incognitum, non vero cognitum, nisi in raro casu, in quo restitutio ipsi fieri non potest.

570. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Difficile est ut modus restituendi secreto non suppetat. Porro, in casu, pecunia illa piis causis, vel pauperibus eroganda esset.

*R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* VERONICA potest simpliciter obtemperare, et linteae Parisios mittere. Non tamen ad obediendum in hoc absolute tenetur, quia est quid ridiculum et insanum. Sed si pecuniæ parcat, ipsi dominæ parcat.

## CASUS IX.

## CALLIDA FAMULA.

SUZANNA, ancilla jussa ab hero ut victualia quædam, v. g. saccharum, caféum, apud LAZARUM, mercatorem, assignato certo pretio emeret, novit, varias officinas adeundo, a BERNARDO res æque bonas minori pretio haberi posse. Prætermisso igitur LAZARO, victualia apud BERNARDUM emit; sed id quod de pretio supererat, non hero, sed sibi, velut lucrum singularis industriæ, attribuit. Hoc autem commercium per varios annos fecit. Mortuo interea domino, SUZANNA suam servitum Ursino addixit. Mox autem advertit novum herum esse impatientissimi animi virum, et in verba aspera, imo et in blasphemias facile erumpere, si ipsi imperanti sedulo non obtemperetur. Porro URSINUS exigit ut mensa melioribus ferculis instruat, sed simul ut victualia minori pretio emanent. Quid igitur faciet ancilla inter malleum et incudem constituta? Inveniet modum rem totam componendi, et pacem cum hero habendi. Ecce! emit meliores cibos, quos in foro publico, vel in officinis reperit, pretio quo res hujusmodi omnibus veneunt, et fingit se pretio minori emisse. Ut autem hoc facere possit, curat ut, inscio domino, pecuniam residuam semper secum habeat.

HINC :

QUER. 1<sup>o</sup> An SUZANNA industriæ fructum servare potuerit in priori famulatu?

2<sup>o</sup> An injuste erga LAZARUM, mercatorem, egerit?

3<sup>o</sup> An item erga URSINUM, posteriorem herum?

SOLUTIO :

571. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæ. SUZANNA injuste egit erga priorem dominum et, eo mortuo, hæredibus sub gravi restituere debet id omne quod fraudulenter seposuit, quia nullo jure ad hanc residuam pecuniam potitur. Non est enim fructus specialis industriæ, siquidem in hac praxi nullus labor extraordinarius, ingenium nullum extraordinarium reperitur. Quot ancillæ hujus artis capaces essent, si ipsis licita foret! Ancilla rem domini gerit, et in favorem domini, cui tempus et laborem tribuere debet. Ergo quidquid parcit, domino parcit. — Dices: Herus minime læditur, nihil enim amittit, siquidem illa residua pecunia mercatori designato fuisset tradita. R. Vana est objectio. Pecunia, quæ salva superest, domini est, et ad dominum clamat.

572. — R. ad 2<sup>m</sup> Quæ. Negative. Etenim, licet LAZARUS, mercator, a SUZANNA prætermisus fuerit præter heri voluntatem, nullam passus est injuriam, quia nullum strictum jus contra eum violatum fuit. Excipe casum in quo promissio ex speciali contractu ei a hero facta fuisset. *Elbel*, n. 62.

R. ad 3<sup>m</sup> Quæ. Neque est injustitiæ rea SUZANNA erga URSINUM posteriorem herum, quia aliter facere minime potuit. Quid enim ei faciendum fuisset? Malleum inter et incudem constituta, poteratne acerbos ictus devitare? Id tamen agere omittat quoties poterit, cum periculo hallucinationis res non careat, et imprimis, maxime ipsi a mendacio cavendum erit.

## CASUS X.

OCCULTA COMPENSATIO 1<sup>o</sup>.

1<sup>o</sup> AUGUSTINUS a judice damnatur ad solvendum ANTONIO debitum quod contraxit quidem, sed quod certissime solvit. Obtemperat judicis sententiæ coactus; sed mox, data occasione, occulta compensatione erga ANTONIUM utitur.

2<sup>o</sup> ALBERTUS, famulus, a MEDARDO invitatus ut famulatum sibi præstaret, assensit, nulla pactione speciatim inita de mercede, hanc relinquens ipsius MEDARDI judicio determinandam. Anno autem elapso, MEDARDUS stipendium minus infimo, quod aliis hujusmodi famulis rependi solet, ei solvit, Quare ALBERTO visum est compensationis occultæ remedio sibi, tuta conscientia, utendum esse, nempe usque ad pretium infimum, quo cæteri famuli conducuntur.

3<sup>o</sup> MARCUS, alius famulus, officia sua obeundo, ex inadvertentia vas quoddam crystallinum fregit. Herus, iratus, stipendii partem ei subtrahit. MARCUS autem occulta compensatione se indemnem fecit.

HINC :

QUER. 1<sup>o</sup> An AUGUSTINUS potuerit compensatione uti?

2<sup>o</sup> An ALBERTUS potuerit se compensare usque ad quantitatem infimam aliis famulis tribui solitam?

3<sup>o</sup> An MARCUS potuerit partem stipendii sibi denegatam occulta compensatione recuperare?

SOLUTIO :

573. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæ. De jure naturali AUGUSTINUS occulta compensatione uti potuit, si alio modo quod suum est repetere non potuerit. Nullam injuriam ANTONIO intulit; siquidem id solum, quod suum erat, repetiit. Etenim, si AUGUSTINUS injuste egisset erga ANTONIUM, hic ad duplicem solutionem jus haberet. Quis autem hoc affirmabit unquam? Nec obstat quod judicis sententia intervenerit. Judex enim non gaudet facultate tribuendi alicui id quod suum non est. Sententia judicis in errore facti fundatur, et proinde materialiter injusta evadit; jus autem ex injustitia, quantumvis materiali, oriri nequit. *Moulet*, tom. 1, p. 491. V. Cas. 9, de *Legibus*, ad 3<sup>m</sup>, n. 22 et 26. — V. *Comp.* n. 624.

574. — R. ad 2<sup>m</sup> Quæ. Per se exacte loquendo ALBERTUS, famulus, non videtur damnandus; quia, secluso pacto, jus saltem habet ex implicito contractu ad infimum stipendium quod aliis ejusdem conditionis dari solet. Proinde famulus non repetit nisi id quod sibi ex justitia debetur. Sed ante factum non facile hoc permittendum est, propter ingens periculum hallucinationis. Nec facile famulus suo proprio judicio rem dirimere potest, sed generatim virum doctum et prudentem interrogare debet. Consulat etiam conscientiam intimam, ut resciat utrum rite labore suo functus fuerit. Est enim damnata ab *Innoc. XI* generalis propositio, quæ famulis compensationem permittit quoties operam suam salario recepto majorem judicant.